

CAPITULUM 14

DE COMPARATIONE GENERIS AD ALIA PRAEDICABILIA

§1

Commune autem est generi... 13,23-14,3 . Istud est secundum capitulum huius secundi tractatus, in quo Porphyrius comparat genus ad alia quattuor praedicabilia penes convenientiam et differentiam, postquam manifestavit in communi ea in quibus conveniunt et differunt omnia praedicabilia.

Dividitur ergo istud capitulum in quattuor conclusiones. Quarum prima est ista: genus cum differentia convenit et ab eadem distinguitur. Secunda conclusio: genus cum specie convenientiam habet et differentiam, ibi: ¹ genus et species. Tertia conclusio: genus et proprium invicem conveniunt et disconveniunt, ibi: ² generis autem et proprii. Quarta conclusio: genus et accidens invicem convenientiam habent et differentiam, ibi: ³ generis vero et accidentis.

Primam conclusionem probat Porphyrius, et primo quo ad primam partem, assignando tres convenientias quibus genus cum differentia convenit. Prima convenientia est ex parte inferiorum, quia sicut genus continet plures species ita si differentia, licet non tot contineat differentia quot continet genus. Ex quo enim differentia est divisiva generis impossibile est quod tot species contineat quot continet genus.

Verbi gratia, animal continet omnes species animalium, rationale non continet omnes species animalium, quia non continet ea quae sunt irrationalia, sed continet hominem et Deum, quae sunt species animalis constitutae per rationale. Voluerunt enim Stoici et Epicurei quod homo et Deus essent animalia rationalia, et quod distinguerentur per mortale et immortale; et licet illa opinio non sit vera, tamen Porphyrius exemplificat secundum modum illius opinionis, ut sua intentio melius declaretur.

Lege litteram: commune autem est generi et differentiae continen-
tia specierum. Continet enim species, etsi non omnes quot genera; ra-
tionale enim etsi non continet ea quae sunt irrationalia, ut genus
quemadmodum animal sed continet hominem et Deum quae sunt species.

§2

Et quaecumque praedicantur... 14,3-10 . Secunda convenientia
 est ex parte superiorum, quoniam sicut omne quod praedicatur de gene-
 re tamquam genus praedicatur de qualibet specie illius generis, ita
 omne quod tamquam differentia praedicatur de differentia consequenter
 praedicatur de speciebus sub illa contentis.

Verbi gratia, species animalis sunt homo, et equus et alia irratio-
 nalia; ipsum autem animal est genus, de quo universaliter praedicatur
 corpus animatum, et corpus et substantia, cum praedicentur de animali
 tamquam genera illius; constat autem quod haec omnia tamquam genera
 animalis universaliter praedicantur de animali et de omnibus specie-
 bus eius usque ad individua. Nam sicut omne animal est corpus anima-
 tum, et corpus et substantia, ita omnis homo et omnis equus est cor-
 pus animatum, et corpus et substantia; et consequenter Sortes et Bru-
 nellus et alia individua animalium sunt corpora animata, et corpora
 et substantiae. Sicut ergo animal, non obstante quod sit genus, habet
 genus supra se, ita rationale, non obstante quod sit differentia, ha-
 bet differentiam supra se, videlicet ut ratione. Sicut ergo uti ra-
 tione universaliter praedicatur de rationali, quia omne rationale uti-
 tur ratione, ita praedicatur de homine et Deo usque ad individua, eo
 quod omnis homo et omnis Deus utitur ratione, ac etiam hic homo et
 ille angelus.

Lege litteram: et quaecumque praedicantur de genere ut genus et de
his quae sub ipso sunt speciebus praedicabuntur, quaecumque praedican-
tur de differentia ut differentiae et de ea quae sub ipsis est specie

praedicabuntur; nam cum genus sit animal, non solum de eo praedica-
tur ut genus substantia et animatum, sed etiam de his quae sunt sub
animali speciebus omnibus praedicantur usque ad individua. Cumque sit
differentia rationale praedicabitur de ea ut differentia id quod est
ratione uti, et non solum de eo quod est rationale, sed etiam de his
quae sunt sub rationali speciebus praedicabitur ratione uti.

§3

Commune autem est... 14,10-13 . Tertia convenientia est ex par-
 te principiorum, quoniam sicut genus est principium speciei quo inte-
 rempto interimuntur omnes species eius, ita differentia est principium
 speciei qua interempta interimitur omnis species contenta sub ipsa. Si
 cut enim nullo animali existente non est homo, neque equus, neque ali-
 quod aliud animal, ita nullo rationali existente non est aliquod ani-
 mal utens ratione, videlicet homo et Deus. Unde, sicut materia et for-
 ma sunt principia intrinseca essentialia compositi, ita genus et dif-
 ferentia sunt principia intrinseca essentialia speciei; constat autem
 quod destructa materia vel forma destruitur compositum, ideo destructo
 genere vel differentia necessario destruitur species.

Tres igitur sunt communitates in quibus conveniunt genus et diffe-
 rentia. Prima communitas est continentiae, quia sicut genus continet
 multas species, ita et differentia; secunda communitas est praedica-
 tionis, quia sicut omne quod praedicatur de genere praedicatur de qua-
 libet sua specie, ita omne quod praedicatur de differentia praedica-
 tur de qualibet sibi subiecta specie; tertia communitas est causali-
 tatis, quia sicut genus, ita differentia est causa speciei, ad cuius
 destructionem destruitur species sicut ad destructionem generis.

Lege litteram: commune autem est illis et perempto genere vel dif-
ferentia simul perimi ea quae sub ipsis sunt, quemadmodum si non est
animal non est equus neque homo, ita si non est rationale nullum ani-

mal erit utens ratione.

§4

Proprium autem est generi... 14,4-20 . Probata prima parte con-
clusionis consequenter declarat Porphyrius secundam, videlicet quod
genus a differentia distinguitur, ostendens sex disconvenientias inter
genus et differentiam. Quarum prima est ex parte praedicationis, quo-
niam de pluribus praedicatur genus quam differentia; si enim differen-
tia dividit genus, oportet differentiam tantum de una parte generis
praedicari.

Verbi gratia, dato quod animal dividatur per bipes et quadrupes,
patet quod animal praedicatur de homine, equo et bove, serpente et ave,
et generaliter de omni animali, sive habuerit duos pedes sive quattuor;
quadrupes vero de solis animalibus quattuor pedes habentibus praedica-
tur. Et non solum de pluribus praedicatur genus quam differentia, sed
etiam quam species, et proprium et accidens. Species enim in eo quod
species tantum de individuis praedicatur, ut homo de solis particula-
ribus hominibus. Si enim aliqua species de pluribus praedicatur specie-
bus, hoc non est in quantum species, sed in quantum genus. Praedicatur
etiam de pluribus quam proprium, quia proprium de sola specie praedica-
tur et de individuis illius, ut risibile tantum de hominibus praedica-
tur et hinnibile solum de equis particularibus.

Iterum, praedicatur genus de pluribus quam accidens. Primo quidem
genus in communi de pluribus praedicatur quam accidens in communi, quia
in quolibet praedicamento est genus, non autem accidens. Secundo quia
substantia de pluribus praedicatur quam aliquod accidens. Tertio, quia
animal de pluribus praedicatur quam album aut aliud accidens, ut est
divisivum animalis.

Et si aliquis obiceret quod non de pluribus praedicatur genus quam
differentia, quia sensitivum est differentia animalis et de quocumque

praedicatur animal de eodem praedicatur sensitivum, respondet Porphyrius quod genus habet duplicem differentiam, unam divisivam et unam constitutivam sui. Quando ergo dicitur quod de pluribus praedicatur genus quam differentia, intelligendum est de differentia divisiva generis et non de differentia constitutiva illius. Constat autem quod sensitivum non est differentia divisiva animalis, sed constitutiva.

Lege litteram: proprium autem est generi de pluribus praedicari quam differentia, et species, et proprium, atque accidens. Animal enim de equo, et bove, et homine, et serpente, et ave praedicatur; quadrupes vero de solis habentibus quattuor pedes praedicatur, homo autem de solis individuis praedicatur, et hinnibile de equo et de his qui sunt particulares equi praedicatur, accidens similiter de paucioribus. Oportet autem differentias accipere quibus dividitur genus, non eas quae complent substantiam generis.

§5

Amplius genus continet... 14,20-21 . Secunda disconvenientia est ex parte continentiae, quia genus potestate continet omnes suas differentias divisivas, nulla autem differentia divisiva generis continet aliam actu vel potentia. Animal enim continet rationale et irrationale, sed rationale non continet irrationale, neque e contra, quia invicem opponuntur. Sicut enim prima materia potentia continet formam hominis et formam equi, tamen forma hominis non continet formam equi nec e contra, ita in proposito. Genus enim habet modum materiae et differentia habet modum formae, ut superius expressit Porphyrius. Fit autem hic mentio de differentia divisiva generis et non constitutiva eiusdem, quia illam non continet genus potentia, sed actu; animal enim actu continet sensitivum, sicut homo rationale et equus continet irrationale.

Lege litteram: amplius genus continet differentias potestate; ani-

mal enim hoc quidem rationale, illud vero irrationale.

§6

Amplius quidem genera... 14,21-15,2 . Tertia disconvenientia est ex parte ordinis, quia genus prius est sua differentia divisiva, quoniam quaelibet differentia divisiva generis exit de potentia generis, ideo quaelibet talis est naturaliter posterior genere. Licet enim simpliciter loquendo actus praecedat potentiam, tamen in eodem potentia praecedit actum, ut probatur IX Metaphysicae.⁴ Constat autem quod genus et differentia sunt partes speciei, quarum genus est sicut potentia et differentia sicut actus; ideo necesse est quod genus prius sit quam aliqua eius differentia divisiva, sicut prius est materia quam aliqua forma educibilis de illa. Signum autem quod genus prius est suis differentiis divisivis, tale est, quoniam sublata generibus necesse est quod auferantur omnes differentiae, non autem e contra.

Verbi gratia, sublato animali aufertur rationale et irrationale, tam secundum rem quam secundum intellectum, quia sequitur 'nullum animal est, ergo nihil est rationale vel irrationale', etiam sequitur 'non intelligitur animal, ergo non intelligitur rationale nec irrationale'; e contra autem etsi ablatis differentiis secundum rem auferatur genus, non tamen secundum intellectum. Unde si non esset rationale nec irrationale, nullum animal esset, tamen in intellectu esset animal non existente in intellectu rationale nec irrationale, quoniam tunc esset definitio animalis, videlicet substantia animata sensitiva, quae est animal. Quodlibet enim prius potest intelligi absque suo posteriori; ideo potest intelligi animal non intellecto rationali neque irrationali.

Lege litteram: amplius quidem genera priora sunt sub se quidem positis differentiis, propter quod simul quidem eas aufert genus, si interimitur, non

terimatur, non autem simul auferuntur ipsum genus. Sublato enim animali aufertur rationale et irrationale; differentiae vero genus non auferunt. Nam si omnes interimantur, substantia animata sensibile subintelligi potest, quae est animal.

§7

Amplius autem genus... 15,2-4 . Quarta disconvenientia est ex parte modi praedicandi, quoniam genus praedicatur in quid, differentia vero in quale. Non enim intelligendum est quod genus praedicatur in quid de differentia et e contra praedicatur differentia in quale de genere -quia si quaeritur quid est animal numquam respondebitur rationale, neque si quaeritur quale est rationale respondebitur animal-, sed est intelligenda illa diversitas praedicandi respectu speciei et respectu eorum quae continentur sub specie, ut in primo tractatu dictum est. Unde si quaeritur quid est Sortes aut quid est homo, respondetur animal; si autem quaeritur qualis est Sortes aut homo, respondetur rationalis. Ibi enim dictum est quod genus se habet per modum determinati, ideo praedicatur in quid; differentia vero se habet per modum determinantis, propterea praedicatur in quale.

Lege litteram: amplius autem genus quidem in eo quod quid est, differentia vero in eo quod quale quiddam, videlicet essentielle, quemadmodum dictum est, praedicatur.

§8

Amplius quidem genus... 15,4-6 . Quinta disconvenientia est ex parte constitutionis, quoniam uniuscuiusque speciei unicum est proximum genus constituens, differentiae autem constituentibus sunt plures.

Verbi gratia, dato quod hominis proximum genus sit animal, adhuc differentiae sunt multae, videlicet rationale, mortale et perceptibile disciplinae, quibus homo ab aliis differt. Sicut enim ad constitu-

tionem compositi naturalis una currit materia cum multis formis, ita ad constitutionem speciei concurrunt genus unum cum multis differentiis. Et sicut in generatione mixti concurrunt formae elementorum, quae sunt formae communes potentiales ad forma mixti, quae est forma propria dans nomen et definitionem, ita ad constitutionem speciei concurrunt multae differentiae communes quae sunt potentiales ad ultimam differentiam, a qua species capit nomen et definitionem. Sicut in proposito tres assignantur differentiae constituentes hominem, quarum duae sunt communes, videlicet rationale et mortale -nam rationale competit homini et deo, mortale vero competit homini et equo-, tertia vero differentia est propria, nulli competens nisi homini, et alias duas determinans eo modo quo forma mixti determinat omnes formas elementorum. Patet enim quod perceptibile disciplinae nulli nisi homini competit.

Lege litteram: amplius quidem genus unum est secundum unumquamque speciem, ut hominis id quod est animal, differentiae vero plurimae sunt, ut rationale, et mortale, et disciplinae perceptibile, quibus ab aliis differt homo.

§9

Et genus quidem consimile... 15,6-9 . Sexta disconvenientia est ex parte proportionis, quoniam genus proportionatur materiae, differentia vero formae. Dicimus enim quod genus est simile materiae et differentia assimilatur formae in hoc. Nam sicut materia est subiectum omnium formarum et determinatur per quamlibet earum, ita genus est subiectum omnium differentiarum et determinatur per quamlibet earum; et sicut materia est pars potentialis in composito et forma est pars actualis, a qua recipitur nomen et definitio, ita genus est pars potentialis in specie, et differentia pars actualis, dans nomen et definitionem.

Patet ergo quod sex sunt proprietates in genere et sex in differentia quibus invicem distinguuntur genus et differentia; eo modo quo in

vicem distinguuntur nasus simus et nasus aquilinus, aut materia et forma, quae sic se habent quod proprietates unius non sunt proprietates alterius. Licet ergo plures sint communitates quibus invicem conveniunt genus et differentia quam nominatae, et plures sint proprietates quibus invicem distinguuntur quam istae designatae, haec tamen sufficiunt ad manifestandum apertam convenientiam et disconvenientiam inter genus et differentiam.

Lege litteram: et genus quidem consimile est materiae formae vero differentia. Cum autem sint et alia communia et propria generis et differentiae, nunc ista sufficiant.

§10

Quomodo est intelligendum quod differentia praedicatur de pluribus differentibus specie

Notandum quod in hac conclusione Porphyrius replicat illud quod dixit in capitulo de differentia, videlicet quod differentia praedicatur de pluribus differentibus specie; quod quidem est intelligendum in quantum differentia est potentia in genere et non in quantum actu dividit genus. Propterea manifestans quod species componitur ex uno genere propinquo et multis differentiis, assignavit tres differentias, quarum duae praedicantur de pluribus differentibus specie, videlicet rationale et mortale, alia vero praedicatur tantum de una specie, scilicet disciplinae susceptibile. Et per hoc dedit intelligere quod ultima differentia constitutiva speciei specialissimae convertitur cum specie illa; sed quia talis differentia communiter ignoratur, propterea accipiuntur plures differentiae, quarum quaelibet est communior quam species, et omnes simul convertuntur cum specie et cum illa simplici differentia loco cuius illae plures ponuntur.

§11

Utrum idem sit potentia et potestas

Dubitatur utrum idem sit potentia et potestas, cum dicitur 'genus potestate continet differentias sub se positas' aut 'differentiae divisivae generis sunt potestate in genere'.

Respondet Albertus⁵ quod non; quia potestas dicit firmitatem et constantiam, potentia autem dicit esse et non esse.

Sed indubie idem est potentia absoluta et potestas, quia, V Meta-physicae,⁶ Philosophus distinguitⁿ potestatem dicit quod potestas uno modo accipitur pro principio activo, alio modo pro principio passivo, tertio modo pro principio bene operandi, quarto modo pro principio incorruptibilitatis; constat autem quodlibet tale principium esse po-
tentiam, ut colligitur ab eodem, IX Metaphysicae.⁷ Idem ergo est hic potestas et potentia passiva generis. Porphyrius autem nominat pote-
statem et non potentiam, quia potestas non ita multipliciter accipitur sicut potentia, quoniam datur potentia passiva et potentia respecti-
va, quae excludit actum, non autem datur aliqua potestas respectiva. Ne ergo crederetur quod potentia generis excluderet differentiam si-
cut potentia materiae excludit formam, videlicet respectivam, propte-
rea dicit Porphyrius 'potestate' et non 'potentia'.

§12

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod non sicut genus praedica-
tur de genere, ita differentia de differentia. Quoniam genus ita prae-
dicatur de genere quod est pars generis, quoniam substantia et corpus
et vivum sunt partes animalis; differentia autem non est pars differen-
tiae, alioquin esset procedere in infinitum in differentiis, et diffe-
rentia esset species, quia componeretur ex genere et differentia. Dein-
de non apparet quomodo uti ratione praedicetur de rationali sicut cor-

pus animatum de animali, quia uti ratione non est communius quam rationale; in cuius signum dicit Porphyrius quod destructo rationali destruitur animal utens ratione.

Secundo arguitur quod genus non habet differentiam constitutivam, quoniam tunc ens esset genus et non descenderet immediate in decem praedicamenta, contra Philosophum, III Metaphysicae.⁸ Et probatur illud sequi; si enim aliquod genus habet differentiam constitutivam, per idem et quodlibet, cum non sit maior ratio de uno quam de alio; igitur quodlibet generalissimum habet differentiam constitutivam, quod quidem esse non posset nisi ens contraheretur per illam differentiam ad generalissimum -quo concessio habetur intentum.

Tertio arguitur quod genus non est prius differentiis divisivis, quia aliquod est genus quod non est prius suis speciebus, per Commentatorem, III Metaphysicae,⁹ exemplificantem de numero, qui non est prior binario; constat autem quod genus descendit in species per differentias; igitur etc. Unde potest sic argui: destructis primis substantiis impossibile est aliquid horum remanere, per Philosophum in Praedicamentis,¹⁰ ergo destructo rationali et irrationali destruitur animal; et per consequens animal non est prius rationali et irrationali. Patet consequentia prima, quia primae substantiae habent rationem materiae, cum sint individua, differentiae autem habent rationem formae; constat autem quod unumquodque potius destruitur ad destructionem formae quam materiae.

Quarto arguitur quod si alicuius speciei proximum genus est unum, quod etiam differentia est una, quia eadem sunt partes definitionis et speciei; sed definitio constat solum ex genere propinquo et ultima differentia, per Philosophum, VI Topicorum¹¹ et VII Metaphysicae;¹² igitur etc. Deinde quomodo hominis animal est genus proximum, cum iam determinaverit Porphyrius animal rationale aut aliquod aliud simplex loco illius esse genus proximum hominis?

Ad primum dicitur quod ly 'sicut' non importat omnimodam similitudinem, sed solum quod sicut genus praedicatur de genere tanquam magis commune de minus communi, ita differentia de differentia. Deinde, uti ratione videtur communius quam rationale, quoniam rationale dividens animal non praedicatur nisi de animali, secundum Porphyrium;¹³ uti autem ratione praedicatur de animali et etiam de intellectu, qui non est animal, cum sit pars animalis; et licet destructo rationali destruat animal utens ratione, non tamen propter hoc destruitur utens ratione.

Ad secundum respondetur quod si genus ut genus haberet differentiam constitutivam argumentum procederet; sed genus non ut genus sed ut species habet differentiam constitutivam. Generalissimum autem nullam compositionem habet a priori, sed solum a posteriori, quia differentia facit compositionem cum eo sicut forma cum materia, et species ipsum componunt tanquam partes materiales eo posteriores.

Ad tertium dicitur quod Commentator loquitur ibi de prioritatem temporis, ita quod aliquod genus non est prius suis speciebus tempore, sic quod numero repugnat praecedere binarium tempore. Aliquod autem est genus prius suis speciebus tempore, ut animal; non enim repugnat animali quamcumque speciem suam tempore praecedere. Licet ergo aliquod sit genus quod non praecedat suas species tempore, tamen quodlibet genus praecedit causalitate quamlibet suam speciem, cum sit pars essentialis eius et forma ipsius, quoniam quodlibet superius est forma sui inferioris, per Aristotelem, II Physicorum¹⁴ et V Metaphysicae.¹⁵ Quando autem dicit Philosophus quod destructis primis substantiis im possibile est aliquid ^{horum} remanere, verum est secundum esse perfectum quod habent superiora in suis inferioribus; tamen remanent superiora secundum esse imperfectum quod habent in intellectu. Ita etiam dicit Porphyrius quod destructis differentiis adhuc manet genus in intellectu, eo quod intellectus adhuc concepit animal esse substantiam animatam sensitivam dato quod non concipiat rationale neque irrationale.

Ad quartum respondetur quod Porphyrius loquitur ex suppositione quando accipit animal tamquam genus propinquum hominis. Isto enim praesupposito, est concedendum quod unicum est genus proximum et unica est differentia ultima hominis. Cum quo tamen stat quod plures aliae sunt differentiae communes, sicut unica est materia propinqua mixti et unica forma propria et praeter istam sunt formae elementorum, quae sunt formae communes et dispositiones ad formam mixti.

Cum autem arguitur quod eadem sunt partes definitionis et speciei, concedatur; tamen definitio non exprimitur nisi per duas partes, eo quod in differentia ultima virtualiter continentur omnes differentiae superiores. Si enim sic definitur homo 'homo est substantia corporea animata sensitiva rationalis in re', haec definitio est eadem cum ista 'homo est animal rationale', et partes unius sunt partes alterius; haec tamen non exprimitur nisi per unicum genus et unicam differentiam, eo quod illae differentiae, corporeum animatum, sensitivum, formaliter continentur in animal tamquam partes eius, virtualiter autem continentur in rationali. Quare etc.

§13

Genus autem et species... 15,10-12 . Secunda conclusio: genus cum specie convenientiam habet et differentiam. Istam conclusionem declarat Porphyrius. Et primo quo ad primam partem, ex tribus convenientiis quibus conveniunt genus et species. Prima convenientia est praedicacionis, eo quod tam genus quam species de pluribus praedicatur. Non quidem propter istam causam; quia idem est genus et species; et genus de pluribus praedicatur; ergo species de pluribus praedicatur. Sed genus ut genus et species ut species de pluribus praedicatur. Si enim idem est genus et species, ut animal aut corpus, tamen aliquod est genus quod non est species, ut substantia, et aliqua est species quae non est genus, ut homo; constat autem quod tam homo quam substan

tia de pluribus praedicatur; licet igitur genus et species in hoc differant, quod genus ut genus praedicatur de pluribus differentibus numero et specie, species autem ut species praedicatur de pluribus differentibus numero solum, tamen genus et species in hoc communi conveniunt quod est de pluribus praedicari.

Lege litteram: genus autem et species commune quidem habent de pluribus, quemadmodum dictum est, praedicari. Sumatur autem species ut species sed non ut genus si fuerit idem genus et species.

§14

Commune autem est... 15,12-13 . Secunda convenientia est ordinis, eo quod tam genus quam species est prius eo de quo praedicatur. Nam genus praedicatur de specie, et specie de individuo; constat autem quod genus est prius specie et species est prior individuo. Quaelibet enim pars essentialis est prior suo toto, ut probatur VII Metaphysicae;¹⁶ constat autem quod genus est pars essentialis speciei et species est pars essentialis individui, ut superius ostensum est; ergo genus est prius specie et species prior individuo.

Item, prius est illud a quo non convertitur essendi consequentia, ut habet videri in Postpraedicamentis¹⁷ et V Metaphysicae;¹⁸ constat autem quod ab individuo ad speciem et a specie ad genus est bona consequentia, non autem e contra, quia sequitur 'Sortes est, ergo homo est' et non e contra, sequitur etiam 'homo est, ergo animal est' et non e converso.

Lege litteram: commune autem est his priora esse eorum de quibus praedicantur. (Hic ponitur genitivus loco ablativi iuxta modum graecorum).

§15

Et totum... 15,13 . Tertia convenientia est continentiae, eo quod tam genus quam species est totum respectu eorum de quibus praedicatur. Nam omne continens habet rationem totius et omne contentum habet rationem partis, ut declaratur IV Physicorum;¹⁹ genus autem et species continent ea de quibus praedicantur. Genus enim universaliter praedicatur de specie, et species de individuo; species autem non universaliter praedicatur de genere, neque individuum de specie -nam omnis homo est animal et omne quod est Sortes est homo, non tamen omne animal est homo nec omnis homo est Sortes.

Item, quaelibet species est pars subiectiva generis et quodlibet individuum est pars subiectiva speciei; sed pars dicit relationem ad totum, ut habetur V Metaphysicae;²⁰ igitur genus est totum universale ad suas species, et species est totum universale ad individua; constat autem quod de speciebus praedicatur genus et de individuis praedicatur species.

Lege litteram; et totum quoddam est utrumque, tam genus quam species ad ea de quibus praedicantur.

Tres ergo sunt communitates in quibus conveniunt genus et species; prima communitas est praedicationis, secunda est ordinis, et tertia est continentiae. Prima est causa secundae, et secunda est causa tertiae.

§16

Differt autem genus et species... 15,15-16 . Assignatis autem convenientiis, ex quibus est probata prima pars conclusionis, oportet consequenter ponere differentias in quibus differunt genus et species. Istae enim differentiae octo sunt. Quarum prima est continentiae, quoniam genus continet species sub se, species autem non continet genera sub se, sed solum continetur a genere. Semper enim maius continet mi-

nus et e converso minus continetur a maiori; constat autem quod genus in plus se habet quam species, quoniam quicquid significat species si significat genus et de quocumque praedicatur species praedicatur genus, et non e converso; ergo genus continet speciem, non autem species continet genus sub se. Et notanter dicitur 'sub se', quia species etsi non continet genus sub se, tamen continet genus in se, cum genus sit pars speciei.

Lege litteram: differt autem genus et species eo quod genus quidem continet speciem sub se, species vero continetur et non continet genera; in pluribus enim est genus quam species.

§17

Genera quidem... 15,16-18 . Secunda differentia est constitutio nis quoniam genus perficit species, species autem non perficit genus. Sicut enim materia praeiacet formis actuantibus eam, ita genus praeiacet differentiis informantibus ipsum; et sicut materia actuata formis naturalibus perficit composita, ita genus informatum specificis differentiis perficit species. Sicut ergo compositum, tam in naturalibus quam in artificialibus, perficitur ex materia praeiacente et forma actuante, ita species perficitur ex genere praeiacente et differentia informante. Perficitur ergo homo ex animali praeiacente et rationali informante, sicut perficitur statua ex aere tanquam ex materia praeiacente et figura tanquam ex forma actuante.

Lege litteram: genera quidem praeiacere oportet ad similitudinem materiae, et informata differentiis specificis perficere species.

§18

Unde et priora... 15,18 . Tertia differentia est ordinis, quia genus est naturaliter prius speciebus. Ista differentia sequitur ex priori; si enim genus praeiacet specificis differentiis et perficit

species, necesse est quod sit prius speciebus naturaliter; omne enim perficiens est naturaliter prius perfecto, et constituens consituto. Si etiam genus continet species sub se, sic quod in plus se habeat quam species, ut asserit prima differentia, necesse est quod valeat consequentia a specie ad genus, et non e contra; constat autem quod prius est illud naturaliter a quo non convertitur subsistendi consequentia.

Lege litteram: unde et priora sunt naturaliter genera ipsis speciebus.

§19

Et simul... 15,18-19 . Quarta differentia est destructionis quia destructo genere destruitur species, non autem e contra.

Verbi gratia, destructo animali simul destruantur omnes species eius, videlicet homo, equus et huiusmodi, et hoc tam in re quam in intellectu. Si enim non est animal, non est homo neque bestia; et si non intelligitur animal, non intelligitur homo neque bestia. E contra autem, si homo non esset, non propter hoc haberetur quod animal non sit, quia de deficiente homine maneret equus. Si autem destruantur omnes species animalis, tam secundum rem quam secundum intellectum, adhuc remanebit animal, etsi non secundum rem tamen secundum intellectum. Unde prius est de intellectu posterioris, non autem posterius est de intellectu prioris. Dictum autem est in tertia differentia quod genus est naturaliter prius specie, igitur potest intelligi genus non cognita specie; e contra autem non posset cognosci species non cognito genere. Si enim cognoscitur animal, non autem si cognoscitur animal cognoscitur homo.

Lege litteram: et simul sunt genera omnes species interimentia, sed quae simul sunt genera non interimuntur propter interemptionem specierum.

§20

Et species quidem... 15,19-20 . Quinta differentia est positio-
nis, eo quod posita specie ponitur genus, non autem posito genere po-
nitur species. Si enim homo est, necesse est quod animal sit; non ta-
men si animal est, necesse est hominem esse. Ista differentia sequi-
tur ex priori; unde ad destructionem consequentis sequitur destructio
antecedentis et non e contra, et ad positionem antecedentis sequitur
positio consequentis et non e converso; constat autem quod animal est
consequens ad hominem in ascendendo, licet in descendendo animal sit
antecedens; ideo in ascendendo oportet procedere affirmative colligen-
do multitudinem, in descendendo vero oportet negative procedere divi-
dendo unitatem.

Lege litteram: et species quidem, cum sit est genus, genus vero
cum sit non omnino erit species.

§21

Et genera quidem univoce... 15,20-21 . Sexta differentia est
univocationis, eo quod genus univoce praedicatur de speciebus, species
vero non univoce praedicatur de genere. Animal enim de homine et de
equo univoce praedicatur, quia secundum unum nomen et unam rationem.
Nam tam homo quam equus est animal; et ad quaestionem quaerentem
quid est homo vel equus respondetur animal, et iterum ad quaestionem
quaerentem propter quid homo vel equus est animal respondetur quia
est substantia animata sensitiva. Homo autem vel equus non univoce
praedicatur de animali, quia si quaeritur quid est animal numquam re-
spondebitur homo, et si quaeritur propter quid aliquid est animal
numquam respondebitur quia est animal rationale.

Item, genus directe per se et universaliter praedicatur de specie,
e contra autem species indirecte per accidens et particulariter praedi-
catur de genere. Unde haec praedicatio est directa 'homo est animal'

et haec est indirecta 'animal est homo', quia praedicatum debet habere rationem formae et non materiae. Homo etiam est per se animal, sed accidit animali quod sit homo; iterum, omnis homo est animal, non autem omne animal est homo, sed solum quoddam animal.

Lege litteram: et genera quidem univoce de speciebus praedicantur, species vero de generibus minime.

§22

Amplius quidem... 15,21-23 . Septima differentia est superadditionis, eo quod genus superaddit speciei speciem, sed species superaddit generi differentias. Dicit enim Porphyrius quod genus abundat a specie continentia specierum, species vero abundat a genere propriis differentiis; nam genus secundum quod huiusmodi continet species, species autem secundum quod huiusmodi non continet aliquam speciem.

Item, etsi aliquod genus continet differentiam, quia animal continet sensitivum, non tamen in eo quod genus, quoniam tunc generalissimum contineret differentiam, sed in eo quod species. Unde quodlibet totum excedit quamlibet suam partem per aliam partem; generis autem partes subiectivae sunt species; ideo genus quamlibet suam speciem per aliam speciem excedit. Partes autem essentielles speciei sunt genus et differentia; propterea excedit genus per differentiam et excedit differentiam per genus. Quando ergo dicitur 'genus abundat a specie continentia specierum', id est: excedit quamlibet suam speciem per aliam speciem sub eo contentam; 'differentia vero abundat a genere propriis differentiis', id est: excedit genus per proprias differentias.

Lege litteram: amplius quidem genera abundat earum quae sub ipsis specierum continentia, species vero a generibus abundat propriis differentiis.

§23

Amplius neque species... 15,23-24 . Octava differentia est de nominationis, quia species non potest fieri generalissimum, neque generalissimum potest fieri species. Idem enim genus et species, quoniam species subalterna est genus subalternum. Species autem specialissima sicut non potest esse genus generalissimum ita nec subalternum; e contra autem sicut genus generalissimum non potest esse species specialissima ita nec genus aliud , quodcumque sit illud.

Lege litteram: amplius neque species fiet unquam generalissimum,

§24

De prioritare generis respectu speciei

Notandum quod hic aliqua dicuntur quae superius determinatis capitulo secundo primi tractatus repugnare videntur. Dicitur enim ibi quod genus et species sunt correlativa, hic autem dicitur quod genus est naturaliter prius specie, et quod interempto genere interimitur species et non e contra, et quod posita specie ponitur genus et non e contra, cum tamen dicit Philosophus in Praedicamentis²¹ quod relativa sunt simul natura, et quod dicuntur ad convertentiam, et quod una posito ponitur reliquum et uno interempto interimitur alterum.

Respondetur quod illa propositio 'genus est naturaliter prius specie' dupliciter potest accipi, aut in suppositione simplici vel personali. Si in suppositione simplici sic illa propositio est falsa, quoniam genus ut genus non est prius species secundum quod huiusmodi, sicut nec generalitas est prior specialitate. Si autem accipiatur in suppositione personali, sic illa propositio est vera, quoniam illud quod est genus est prius eo quod est species; nam animal est prius homine et color est prior albedine. Sic etiam solet responderi ad hanc 'pater est prior filio' quod illa est vera in suppositione personali, quia illud quod est pater est prius eo quod est filius; in suppositione au

tem simplici falsa est, quia pater ut pater non est prior filio secundum quod huiusmodi, sicut nec paternitas est prior filiatione.

Contra hanc responsionem arguitur quod genus non est naturaliter prius suis speciebus secundum suppositionem personalem. Quoniam illud est alio prius natura quod potest esse sine eo et non e contra, per Aristotelem, V Metaphysicae;²² sed genus non potest esse sine suis speciebus, alioquin esset animal et nullum esset animal rationale nec irrationale; igitur etc.

Item, Commentator, III Metaphysicae,²³ dicit quod aliquod est genus quod non est prius suis speciebus, sicut numerus et continuum; non enim numerus est prior binario neque continuum est prius linea. Quo dato sequitur quod posito genere ponitur species et interempta specie interimitur genus, quoniam si numerus est binarius est, et si nullus binarius est nullus numerus est.

Dicendum quod duplex est genus, et consequenter duplex est prioritas naturae. Aliquod enim est genus quod respicit suas species secundum ordinem essentialem, sicut continuum et numerus et figura rectilinea; aliquod autem est genus quod respicit suas species sine tali ordine, ut animal et color. Homo enim non essentialiter praeordinatur equo neque e converso, non etiam albedo essentialiter praeordinatur nigredini neque e contra; sed linea essentialiter praeordinatur superficiei et binarius trinario. Huic duplici generi respondet duplex prioritas naturae, videlicet consecutionis et causalitatis. Illud est altero prius natura prioritate consecutionis quod potest esse illo et non e contra, iuxta descriptionem datam a Philosopho, V Metaphysicae.²⁴ Haec prioritas dicitur consequentiae enim quia ab uno ad reliquum est bona consequentia cum hoc verbo 'est' de secundo adiacente, et non e contra. Consequenti quidem non repugnat esse sine suo antecedente per tempus. Isto modo quodlibet genus non respiciens suas species secundum ordinem essentialem est prius suis speciebus, quia a specie ad genus

est bona consequentia et non e contra, et genus potest esse sine talibus speciebus, non coniunctim sed divisim; ita quod quacumque specie signata non repugnat generi esse sine illa specie etiam per tempus. Licet enim species sint aeternae, ut habetur I Posteriorum,²⁵ non tamen repugnat generi quamlibet suam speciem excludere per tempus. Illud vero est altero prius natura prioritatem causalitatis quod cum eo convertitur et est causa illius, ut asserit Philosophus in Postpraedicationis.²⁶ Isto modo dicimus quod subiectum est prius natura propria passione, et species est prior proprio; convertitur enim species cum proprio et est causa illius. Et quoniam numerus et binarius invicem convertuntur, et numerus est causa binarii, ideo numerus est prior natura binario prioritatem causalitatis. Consimilem prioritatem habet continuum respectu lineae et figura rectilinea respectu ^atringuli.

Ex his patet responsio ad difficultatem. Quando Porphyrius dicit quod genus est prius naturaliter suis speciebus, accipit prioritatem naturae large, ut se extendit ad prioritatem consecutionis et causalitatis; quando autem dicit quod posita specie ponitur genus et non e contra, et interempto genere interimitur species et non e contra, loquitur de genere non respiciente suas species secundum ordinem essentialem. Neque hoc invenitur nisi in ea specie quae omnes alias excedit et convertitur cum genere.

§25

Generis autem et proprii... 16,2-3 . Tertia conclusio: genus et proprium invicem conveniunt et disconveniunt. Ista conclusio declaratur; et primo quo ad primam partem introducendo tres convenientias quibus invicem conveniunt genus et proprium.

Prima convenientia est consecutionis, eo quod tam genus quam proprium sequitur ad speciem. Nam sicut sequitur 'homo est, igitur animal est', ita sequitur 'homo est, ergo risibile est'. Dicitur autem

animal consequens ad hominem non secundum naturam, quia genus est naturaliter prius specie, ut in alia conclusione ostensum est, sed secundum cognitionem nostram, neque secundum cognitionem distinctam sed confusam. Cognitionis enim quae est ab effectu ad causam est cognitio confusa, et illa quae est a causa ad effectum est cognitio distincta, per Commentatorem in prologo Physicorum; ²⁷ constat autem quod genus est principium et causa speciei; ideo arguendo a specie ad genus acquiritur notitia confusa, arguendo autem a genere ad speciem acquiritur notitia distincta. Risibile autem est consequens ad hominem tam secundum naturam quam secundum cognitionem, eo quod homo est causa risibilis et ponitur in definitione eius.

Lege litteram: generis autem et proprii commune quidem est sequi-species; nam si homo est animal est, et si homo est risibile est.

§26

Et aequaliter praedicari... 16,3-6 . Secunda convenientia est praedicationis, eo quod sicut genus aequaliter praedicatur de suis speciebus, ita proprium aequaliter praedicatur de his quae eo participant. Animal enim de homine et bove aequaliter praedicatur, quia non secundum magis et minus, ex quo tota essentia animalis est in quolibet eorum; non enim homo est magis vel minus animal quam bos. Sic etiam risibile de Sorte et Platone aequaliter praedicatur, quoniam nullus eorum est altero magis vel minus risibilis, sed ambo sunt aequaliter risibiles. Dicuntur autem individua speciei participare proprium non quidem stricte sed large; inferiora enim proprie participant sua superiora, quia superiora sunt in inferioribus secundum essentiam, nomen et rationem, sed individua speciei non proprie participant proprium, cum proprium non sit de essentia individuorum speciei, neque ab illo nomen recipiunt vel definitionem simpliciter. Dicitur autem proprium participari ab individuis speciei in quantum ab eo nomen accidentale recipiunt

et definitionem secundum quid. Et sicut species dicuntur participare genus, quia nulli speciei convenit tantum ipsum genus, ita individua speciei dicuntur participare proprium, in quantum de nullo individuo tantum praedicatur.

Lege litteram: et aequaliter praedicari dicitur genus de speciebus et proprium de his quae participant illo; aequaliter enim et homo et bos animal, et Cicero et Cato risibiles.

§27

Commune est autem univoce... 16,6-7 . Tertia convenientia est univocationis, eo quod sicut genus univoce praedicatur de suis speciebus, ita proprium de his quorum est proprium. Animal enim secundum idem nomen et eandem rationem praedicatur de homine et bove, quoniam tam homo quam bos est animal, et si quaeritur propter quid homo vel bos est animal respondetur 'quia est substantia animata sensitiva'. Consimiliter dicatur de proprio; risibile enim secundum idem nomen et eandem rationem praedicatur de Sorte et Platone, quia quilibet eorum est risibilis, et ad quaestionem quaerentem propter quid Sortes aut Plato est risibilis respondetur 'quia est homo aptus natus ridere'. Univoce ergo praedicatur genus de suis speciebus et proprium de individuis suae speciei; sed non eadem univocatione, quia genus praedicatur in quid de suis speciebus, et proprium praedicatur in quale de individuis suae speciei. Etiam species potest definiri per definitionem sui generis, dicendo 'homo est substantia animata sensitiva rationalis', non autem potest definiri per definitionem proprii. Cum enim risibile definiatur per 'hominem aptum natus ridere', si definiretur homo per definitionem risibilis diceretur 'homo est homo aptus natus ridere'; et sic idem definiretur per se ipsum, et esset prius et posterius se ipso, et magis ac minus notum se ipso - quae sunt inconvenientia.

Lege litteram: commune est autem univoce praedicari genus de pro-

priis speciebus et proprium de his quorum est proprium.

§28

Differt autem genus et proprium... 1_,9-10 . Ex quo ergo probata est conclusio quantum ad primam partem, consequenter eam probat Porphyrius quantum ad secundam, introducens quinque differentias quibus disconveniunt genus et proprium.

Prima differentia est ordinis, eo quod genus prius est illis de quibus praedicatur, proprium vero est posterius specie de qua praedicatur. Genus enim, cum sit principium specierum, est prius illis; proprium autem, cum fluat a principiis speciei, est posterius specie ac etiam genere. Unde arguitur quod genus est prius speciebus ac etiam propriis; ita quod animal est prius homine et bove ac etiam est prius risibili et hinnibili. Nam omne divisum prius est suis dividendis; sed differentiae dividunt genus; igitur prius est genus quam differentiae; constat autem quod differentiae constituunt species; igitur prius est genus suis speciebus.

Iterum, si omne divisum prius est suis dividendis, et genus dividitur propriis, quia animal sicut dividitur per rationale et irrationale ita dividitur per bipes et quadrupes aut per risibile et non risibile, ergo genus est prius proprio.

Lege litteram: differt autem genus et proprium quoniam genus quidem prius est, posterius vero proprium; oportet enim esse primum animal dehinc dividi differentiis et propriis.

§29

Et genus quidem... 16,10-11 . Secunda differentia est praedicationis, quoniam genus ut genus praedicatur de pluribus speciebus, proprium autem secundum quod huiusmodi non de pluribus speciebus praedicatur -quoniam aliquando praedicatur tantum de una specie, sicut hin-

nibile et risibile, et generaliter quodlibet proprium speciei specia-
lissimae. Proprium ergo non respicit unam speciem tantum, neque plu-
res, sed respicit speciem in communi; ita quod si aliquid est proprium,
illud est proprium alicuius speciei. Genus autem necessario respicit
diversas species, ut est ostensum tractatu primo, capitulo de genere.

Lege litteram: et genus quidem de pluribus speciebus praedicatur,
proprium vero de una sola specie cuius est proprium.

§30

Et proprium quidem conversim... 16,11-14 . Tertia differentia
est adaequationis, quia proprium adaequatur suae speciei cuius est
proprium per mutuam convertibilitatem, genus autem nulli adaequatur
cum quo convertatur, quia non convertitur cum aliqua sua specie neque
cum proprio alicuius suae speciei. Quia licet sequatur 'homo est, igi-
tur animal est', 'risibile est, ergo animal est', tamen e contra non
sequitur 'animal est, igitur homo est', 'animal est, ergo risibile est';
homo autem et risibile invicem convertuntur, quia sequitur 'homo est,
ergo risibile est' et e converso. Dicit autem Porphyrius notanter quod
genus de nullo convertibiliter praedicatur, quia de multis collective
sumptis et sub disiunctione convertibiliter praedicatur. Sequitur enim
'animal est, igitur homo vel bestia est'; etiam sequitur 'animal est,
igitur bipes vel quadrupes est'; iterum sequitur 'animal est, igitur
risibile vel non risibile est'.

Lege litteram: et proprium quidem conversim de eo cuius est proprium
praedicatur, genus vero conversim de nullo praedicatur; nam neque si
animal est risibile est; si vero homo est risibile est, et e converso.

§31

Amplius omni speciei inest... 16,14-16 . Quarta differentia est
exclusionis, quoniam proprium inest uni, et soli, et omni et semper,

genus autem inest uni, et omni, et semper, sed non soli. Proprium enim inest uni speciei, illi scilicet cuius est proprium, et soli illi inest, aliter non esset proprium, et omni individuo illius speciei inest, aliter non converteretur cum specie; ietrum illi speciei et cuilibet individuo illius inest, alioquin non flueret a principiis speciei.

Verbi gratia, risibile inest homini, et soli homini, et cuilibet homini, et semper homini; animal vero etsi inest homini, et cuilibet homini, et semper homini, non tamen inest soli homini, quia de bove et equo praedicatur, quorum nullus est homo.

Convenit ergo genus cum proprio in tribus condicionibus, in quarta vero, quae denotat exclusionem cuiuslibet alterius speciei, non convenit.

Lege litteram: amplius omni individuo speciei inest cuius est proprium, et uni, et soli et semper; genus vero quidem omnis speciei inest cuius fuerit genus, et semper, non autem soli.

§32

Amplius autem species... 16,16-18 . Quinta differentia est destructionis, quoniam interempta specie non oportet quod simul cum illa specie interimatur genus; interempto autem proprio interimitur species, et e contra interempta specie interimitur proprium. Unde si nullum risibile est, nullus homo est; et si nihil quod est homo est, nullum risibile est. Quando ergo dicit Porphyrius quod species quidem interemptae non simul interimunt[ur] genera, intendit hoc divisim contingere; ita quod quacumque specie data, ad negationem illius non sequitur negatio generis, tamen ad negationem omnium simul sequitur negatio generis. Licet ergo non sequatur 'non est homo, ergo non est animal', tamen bene sequitur 'non est homo nec bestia, ergo non est animal'.

Lege litteram: amplius autem species quidem interemptae non simul interimunt[ur] genera quorum sunt species, propria vero simul interemp-

ta interimunt ea quorum sunt propria, et his quorum sunt propria interemptis ipsa simul interimuntur.

§33

Utrum proprium suscipiat magis et minus aut non

Notandum quod Porphyrius sibi ipsi contradicere videtur. Dixit enim in capitulo de differentia quod differentiae per se non intenduntur nec remittuntur, differentiae vero per accidens suscipiunt magis et minus; ubi est ostensum quod proprium, sive convertatur cum specie sive non convertatur, suscipit magis et minus, sicut simum et risibile. Nunc autem dicit quod proprium aequaliter praedicatur de individuis suae speciei; ita quod Sortes et Plato sunt aequaliter risibiles, sic quod non magis neque minus unus quam alius.

Dicendum quod proprium potest dupliciter considerari. Uno modo ut fluit a principiis speciei; et sic non intenditur nec remittitur, et non suscipit magis vel minus. Alio modo ut recipitur in materia taliter vel taliter vel taliter disposita; et sic recipit intensionem et remissionem, seu magis et minus. Quando ergo dixit Porphyrius quod differentiae per accidens intenduntur et remittuntur, consideravit proprium ut recipitur in materia; nunc autem, cum dicit proprium aequaliter praedicari de individuis suae speciei, considerat proprium ut solum fluit a principiis speciei.

§34

Duo argumenta contra quaedam dicta, cum suis responsionibus

Contra quaedam dicta arguitur. Et primo quod genus inaequaliter praedicatur de suis speciebus, quia illud dicitur inaequaliter praedicari de aliquibus quod praedicatur de illis secundum prius et posterius; constat autem aliquod genus praedicari de suis speciebus secundum prius

et posterius. Nam continuum prius praedicatur de linea quam de superficie. Et numerus prius de binario quam de trinario, et figura prius de triangulo quam de quadrangulo. Et ex hoc habetur quod genus conversim praedicatur de aliqua sua specie, videlicet continuum de linea, numerus de binario, et figura rectilinea de triangulo.

Secundo arguitur quod aliquod proprium non competit uni soli speciei, quia sensitivum est proprium animalis et non competit solum uni speciei, quia etiam competit pluribus speciebus, videlicet homini et equo. Et ex isto habetur quod genus convertitur cum proprio, contra Porphyrium. Et patet illud sequi, quia animal convertitur cum sensitivo.

Ad primum dicitur quod ly 'inaequaliter' si dicit intensionem et remissionem, nullum genus inaequaliter praedicatur de suis speciebus, quia non magis nec minus de una quam de alia. Si autem dicit ordinem prioris et posterioris, sic genus ut genus non prius de una specie quam de alia praedicatur; genus tamen ut descendit in species quandoque prius de una quam de alia praedicatur. Sicut materia prima, ut materia est, absolute considerata aequaliter omnia naturalia respicit et non prius unum quam reliquum; tamen, ut contrahitur et determinatur per formam, prius respicit elementum quam mixtum. Intendit ergo Porphyrius quod genus, in eo quod genus et ut est quoddam totum confusum in potentia, aequaliter de omnibus suis speciebus praedicatur, ut autem contrahitur per differentias, sic quod fit actu pars speciei, non inconvenit quod prius de una specie quam de alia praedicetur. Consequenter dicatur quod genus ut genus non convertitur cum aliqua sua specie; tamen ut descendit in species invicem essentialiter ordinatas potest cum aliqua sua specie converti.

Ad secundum respondetur quod sicut tantum unum est, non quia non sint plura quam unum, sed quia nihil aliud ab uno est, ita sensitivum uni soli speciei convenit, non quia non convenit pluribus speciebus, sed quia nulli alteri speciei ab illa convenit. Praedicatur enim sensi

tivum de animali; et de homine et de equo; constat autem quod homo et equus non sunt alia ab animali. Si enim dicuntur species aliae a specie animalis, hoc est tantum modo alietate rationis et non alietate reali. Genus autem non sic potest competere uni soli speciei, quia quacumque data competit etiam alteri ab illa tam alietate reali quam rationis. Consequenter concedatur quod genus aliquod convertitur cum proprio non in quantum genus, sed in quantum species. Neque Porphyrius hoc negat, sed tantum dicit quod genus non convertitur cum aliqua sua specie neque cum proprio alicuius suae speciei -et hoc est verum.

§35

Generis vero et accidentis... 16,20-17,2 . Quarta conclusio: genus et accidens invicem convenientiam habent et differentiam. prima pars est manifesta, eo quod tam genus quam accidens de pluribus praedicatur non solum differentibus numero sed etiam specie. De genere ex ante dictis est manifestum, de accidente autem potest exemplificari, sive accidens fuerit separabile sive inseparabile. Moveri quidem est accidens separabile, et praedicatur de homine et equo, qui differunt specie; nigredo est accidens inseparabile, et praedicatur de differentibus specie, videlicet de corvis et de omnibus Aethiopibus, ac etiam de multis inanimatis, ut de carbone, et de atramento et de cornu et de aliis multis nigris quae inanimata sunt. Conveniunt ergo genus et accidens in hoc communi, quod est praedicari de pluribus. Si autem in aliis conveniunt, ut non praedicari convertibiliter de specie aut praedicari de illa per modum totius, hoc non est ita manifestum sicut praedicari de pluribus.

Lege litteram: generis vero et accidentis commune est de pluribus, quemadmodum dictum est, praedicari, sive separabilium sit accidens sive inseparabilium, etenim moveri de pluribus praedicatur, et nigrum de corvis, et de omnibus Aethiopibus, et aliquibus inanimatis.

§36

Differt autem genus ab accidente... 17,3-6 . Alia pars conclusionis declaratur ex quattuor differentiis quibus differunt genus et accidens. Prima differentia sumitur ex parte ordinis, quoniam genus prius est suis speciebus, cum sit pars et principium ipsarum, accidens vero posterius est, sive sit separabile sine inseparabile; sicut enim forma praesupponit materiam, ita accidens praesupponit subiectum. Dicitur enim accidens ex eo quia alteri accidit; accidere autem alteri praesupponit illud cui accidit, et hoc quidem manifestat definitio accidentis, cum dicebatur, tractatu primo, "accidens est quod adest et abest praeter subiecti corruptionem".

Lege litteram: differt autem genus ab accidente quoniam genus ante species est, accidentia vero speciebus posteriora sunt; non etsi inseparabile accidens sumatur, tamen prius est illud cui accidit quam accidens.

§37

Et genera quidem... 17,6-8 . Secunda differentia sumitur ex parte communicationis, quoniam genus aequaliter communicatur omnibus suis speciebus et individuis, accidens vero non. Cum enim genus secundum totam suam essentiam descendat in quamlibet suarum specierum et in quolibet suorum individuorum, oportet haec omnia aequaliter participare naturam generis; accidentia autem non aequaliter participant, quoniam accidentia intenduntur et remittuntur, ideo participatio accidentium non potest esse aequaliter in omnibus participantibus. Mobilium enim unum velocius movetur quam reliquum, et alborum unum est magis album quam alterum, nigrorum similiter unum est magis nigrum quam reliquum aut minus. In genere autem non est intensio vel remissio, ideo nullum animal est altero magis vel minus animal, neque albedo est magis vel minus color quam nigredo.

Lege litteram: et genera quidem quae participant aequaliter participant, accidentia vero non aequaliter; intensionem et remissionem suscipit accidentium participatio, generum vero minime.

§38

Et accidentia quidem... 17,8-10 . Tertia differentia sumitur ex parte subsistentiae, quoniam accidentia principaliter subsistunt et immediate in individuis, quorum sunt posteriora, genera vero non principaliter nec immediate subsistunt in individuis, neque sunt illis posteriora, sed naturaliter sunt illis priora. Ex quo enim genus immediate praedicatur de specie et mediante specie praedicatur de individuis, oportet quod genus principaliter et immediate subsistat in specie, ex consequenti vero subsistat in individuis. Et quoniam genus est principium speciei, et species est principium individuorum, quia quicquid est principium principiati, sicut quicquid est causa causae est causa causati.

Lege litteram: et accidentia quidem in individuis principaliter subsistunt, genera vero et species naturaliter sunt priora individuis subiectis.

§39

Et genera quidem... 17,10-13 . Quarta differentia sumitur ex parte modi praedicandi, quia genus praedicatur in quid de speciebus et in individuis sub eo contentis -ut saepius est declaratum-, accidens vero praedicatur in quale aut quomodo se habet unumquodque de quo praedicatur. Ut si quaeritur qualis est corvus, respondetur quod niger; si autem quaeritur quomodo se habet, respondetur 'stat', 'volat' aut 'comedit'. Praedicamenta enim accidentium absoluta praedicantur in quale aut simpliciter, sicut est praedicamentum qualitatis, aut secundum quid, sicut praedicamentum quantitatis. Primo enim quaeritur quantum est hoc, respondetur quod pedale; deinde quaeritur quale quantum est pedale, re

spondetur quod longum vel lineale, aut alio modo. Praedicamenta enim respectiva praedicantur in qualiter aut quomodo se habet, ut qualiter se habet hoc ad illud, respondetur sicut pater ad filium; et quo modo se habet in corporis positione, respondetur quod sedet aut quod stat; et quomodo se habet Plato in agendo, respondetur quod studet vel disputat.

Lege litteram: et genera quodam in eo quod quid sit praedicantur de his quae sub ipsis sunt, accidentia vero in eo quod quale aliquid sit, vel quomodo se habet unumquodque; qualis enim est Aethiops interrogatus dicis 'niger', et quemadmodum Socrates se habeat dicis quoniam sedet vel ambulat.

§40

Genus vero quomodo... 17,14-17 . Circa praedicta movet et solvit Porphyrius unum dubium. Dictum enim est quomodo genus differt ab aliis quattuor praedicabilibus, igitur pari ratione quodlibet praedicabile differt ab aliis quattuor praedicabilibus. Si enim genus differt a specie, differentia, proprio et accidente, per idem species differt a genere, et a differentia, et a proprio et ab accidente; sed genus differt ab aliis quattuor praedicabilibus quattuor differentiis; ergo quodlibet praedicabile differt a quattuor aliis praedicabilibus quattuor differentiis. Tunc arguitur sic: quinque sunt praedicabilia; et quodlibet illorum differt a quattuor aliis quattuor differentiis; igitur quinquies quattuor sunt differentiae; constat autem quod quinquies quattuor faciunt viginti; igitur quinque praedicabilium viginti sunt differentiae.

Lege litteram: genus vero quomodo ab aliis quattuor differat dictum est; contingit autem unumquodque aliorum differre ab aliis quattuor, ut cum quinque quidem sint, unumquodque autem ab aliis quattuor differat quare, quinque cum sint praedicabilia, viginti fient omnes differentiae.

§41

Sed semper posterioribus enumeratis... 17,17-20 . In oppositum arguitur sic: semper posterioribus universalibus enumeratis pauciores fiunt differentiae, ergo non omnium praedicabilium viginti sunt differentiae. Patet consequentia, et antecedens probatur: nam praedicabilia enumerata in primo loco sunt quinque, videlicet genus, differentia, species, proprium et accidens; numerata vero in secundo loco sunt quattuor, videlicet differentia, species, proprium et accidens; ergo differentiae sunt tantum tres, quia superantur a differentiis primo loco positis in una differentia, sicut superantur tantum in uno praedicabili —una enim istarum differentiarum prius posita est quando comparabatur genus ad alia praedicabilia. Ex quibus sequitur quod praedicabilia numerata in tertio loco, videlicet species, proprium et accidens, non faciunt nisi duas differentias, quia in duobus superantur. Et consequenter praedicabilia enumerata in quarto loco quae sunt proprium et accidens, faciunt unam differentiam tantum, quia in tribus superantur. Tunc arguitur sic: quinque praedicabilia faciunt quattuor differentias, quattuor praedicabilia faciunt tres differentias, tria praedicabilia faciunt duas differentias, et duo praedicabilia faciunt tantum unam differentiam; constat autem quod quattuor, tria, duo, unum faciunt decem; ergo omnium praedicabilium decem sunt differentiae.

Lege litteram: sed semper posterioribus enumeratis et secundis quidem, id est: secundo loco positis, una differentia superatis, propterea quoniam iam sumpta est una differentia, tertiis vero, id est: tertio loco positis, duabus differentiis superatis, quartis vero, id est: quarto loco positis, tribus differentiis superatis, quintis vero, id est: quinque universalium differentiae sunt tantum quattuor, decem sunt omnes, quattuor, tres, duae, una.

§42

Genus enim differt... 17,20-22 . Pro solutione huius dubii Porphyrius notat omnium praedicabilium quattuor comparationes, quarum prima est generis ad differentiam et speciem, proprium et accidens. Et quoniam differentia, cum sit relatio, numeratur ad numeratione terminorum ad quod comparatur genus, constat autem quod termini ad quos comparatur genus sunt solum quattuor, videlicet differentia, species, proprium et accidens, ergo comparatio generis ad alia quattuor praedicabilia non facit nisi quattuor differentias.

Lege litteram: genus enim differt a differentia et specie, proprio et accidenti; quattuor ergo sunt omnes differentiae.

§43

Differentia quo differt... 17,22-25 . Secunda comparatio est differentiae ad tria praedicabilia sequentia, quae sunt species, proprium et accidens. Hac comparatione non differt differentia a genere, quia differentia qua differt differentia a genere posita est in prima comparatione, quando comparabatur genus ad omnia alia praedicabilia. Tunc enim comparabatur genus ad differentiam, ergo etiam e contra differentia comparabatur ad genus; frustra ergo iam poneretur illa differentia, ex quo ante posita est. Solum igitur ponendae sunt differentiae quibus differentia differt ab aliis tribus praedicabilibus; constat autem quod tantum tres sunt istae differentiae, sicut tantum tres sunt termini ad quos comparatur differentia, ut patet.

Lege litteram: differentia quo differt a genere dictum est, quando quomodo differt genus ab ea dicebatur, relinquitur ergo quo differat differentia a specie, proprio et accidente dicere. Et sunt tres.

§44

Rursus species... 17,25-18,3 . Tertia comparatio est speciei ad alia duo sequentia praedicabilia, quae sunt proprium et accidens. Hac comparatione non differt species a differentia, quia differentia qua differt species a differentia posita est in secunda comparatione, quando comparabatur differentia ad speciem, proprium et accidens. Si enim tunc comparabatur differentia ad speciem penes differentiam, necesse est quod e contra etiam penes differentiam comparetur species ad differentiam. Non etiam hac comparatione comparari debet species ad genus, et consequenter non debet poni differentia speciei a genere, quia in prima comparatione comparabatur genus speciei et species generi penes differentiam generis a specie et speciei ad genus. Restat ergo quod hac tertia comparatione species solum ad proprium et accidens comparetur secundum differentiam; constat autem quod tantum duo sunt termini; igitur tantum duae sunt differentiae.

Lege litteram: rursus species quo quidem differt a differentia dictum est, quando quo differt a specie differentia dicebatur; quo autem differt species a genere dictum est, quando quo differt genus a specie dicebatur; reliquum est igitur ut quo differt species a proprio et accidenti dicatur. Duae igitur istae sunt differentiae.

§45

Proprium autem... 18,3-5 . Quarta comparatio est proprii ad accidens. Qua quidem comparatione non potest differre proprium a genere, neque a differentia, neque a specie, quoniam istae differentiae praecesserunt. Quando enim comparabatur genus ad proprium manifestabatur differentia proprii a genere, et quando comparabatur differentia ad proprium etiam patuit differentia proprii a differentia; iterum quando comparabatur species ad proprium patefacta est differentia proprii a specie. Frustra ergo resumerentur illae differentiae in hac ultima com

paratione; et ideo nulla differentia remanet nisi illa qua proprium differt ab accidente.

Lege litteram: proprium autem quomodo differat ab accidente relinquitur; nam quo modo species et differentiae et genera differant praedictum est in illorum ad ipsum differentiis.

§46

Quattuor ergo sumptis... 18,5-9 . Ex praedictis respondet Porphyrius ad dubium dicens quod decem tantum sunt differentiae omnium praedicabilium, quia omnes differentiae praedicabilium proveniunt aut ex comparatione generis ad differentiam, speciem, proprium et accidens, aut ex comparatione differentiae ad speciem, proprium et accidens, aut ex comparatione speciei ad proprium et accidens, aut ex comparatione proprii ad accidens tantum -ut patuit-; sed ex comparatione generis ad differentiam, speciem, proprium et accidens proveniunt solum quattuor differentiae, ex comparatione differentiae ad speciem, proprium et accidens proveniunt tantum tres differentiae, ex comparatione speciei ad proprium et accidens non nisi duae differentiae proveniunt, et consequenter ex comparatione proprii ad accidens una tantum differentia provenit -ut probatum est-; ergo decem tantum sunt differentiae omnium praedicabilium. patet consequentia, quia quattuor, tria, duo, unum faciunt decem.

Quomodo autem genus differat ab aliis praedicabilibus dictum est; consequenter autem dicetur in sequenti capitulo quomodo alia praedicabilia differunt inter se.

Lege litteram: quattuor ergo sumptis generis ad alia differentiis, tribus vero differentiae, duabus speciei, una autem proprii et accidentis, decem erunt omnes, quarum quattuor quae erant generis ad reliqua superius demonstravimus.

De numero differentiarum inter praedicabilia

Notandum quod Porphyrius videtur hic manifestam includere contradictionem. Dicit enim quod differentiae omnium praedicabilium sunt tantum decem, et tamen ex dictis eius sequitur quod sunt viginti. Dicit enim quod quando comparatur genus ab speciem secundum differentiam etiam comparatur species ad genus secundum differentiam, ergo differentia qua genus differt a specie est alia a differentia qua species differt a genere, sicut alia et alia est comparatio. Vult enim Philosophus, V Metaphysicae,²⁸ quod quando aliqua duo invicem referuntur, numquam referuntur eadem relatione numero. Patet enim refertur ad filium per paternitatem, et filius refertur ad patrem per filiationem; constat autem quod paternitas et filiatio sunt duae relationes; dicit etiam Philosophus, III Physicorum,²⁹ quod duorum distantium distare unius non est distare alterius. Et per consequens duorum differentium differentia unius non est differentia alterius.

Fiat ergo hoc argumentum: genus differt a quattuor aliis praedicabilibus quattuor differentiis, ergo e contra quattuor praedicabilia differunt a genere quattuor aliis differentiis; et sic habemus octo differentias. Item, differentia differt a tribus praedicabilibus tribus differentiis, ergo e contra tria praedicabilia differunt a differentia tribus aliis differentiis; et habemus sex alias differentias. Item, species differt a proprio et ab accidente duabus differentiis, ergo e contra proprium et accidens differunt a specie duabus aliis differentiis; et habemus quattuor. Item, proprium differt ab accidente una differentia, ergo e contra accidens differt a proprio una alia differentia; et habemus duas. Et consequenter viginti sunt differentiae omnium praedicabilium. Patet consequentia, quia octo, sex, quattuor, duo faciunt viginti.

Praeterea Porphyrius assignavit viginti tres differentias quibus

differt genus ab aliis praedicabilibus, dicens quod genus differt a differentia sex differentiis, et a specie octo differentiis, et a proprio quinque differentiis, et ab accidente quattuor differentiis, ex quibus resultant viginti tres differentiae. In capitulo autem sequenti ponit undeviginti differentias quibus invicem differunt alia quattuor praedicabilia. Ex quibus et aliis nominatis fiunt differentiae quadragintaduae.

Respondetur quod quinque praedicabilia dupliciter possunt comparari, videlicet in particulari et in generali. Si comparantur in particulari, sic multae differentiae sunt praeter assignatas, neque habetur numerus illarum. Cum enim Porphyrius ponit unam differentiam inter genus et accidens per praedicari in quid et in quale, necessario sequitur quod sunt duae differentiae; genus enim differt ab accidente per hoc, quod genus praedicatur in quid et accidens non praedicatur in quid, alia differentia est quia accidens praedicatur in quale et genus non praedicatur in quale. Si autem praedicabilia comparantur in generali, aut ergo comparatione principali vel non principali. Si comparatione principali, sic differentiae sunt tantum decem, scilicet priores et principales. Si autem comparantur comparatione non principali, sic sunt aliae decem differentiae, quae posteriores sunt et non principales. Quando enim comparatur genus ad alia quattuor praedicabilia, ista comparatio est prioris ad sum posterioris, eo quod genus praecedit omnia alia praedicabilia. Iterum, quando comparatur differentia ad speciem proprium et accidens, ista comparatio est prioris ad sum posterioris, quia differentia ordine naturae praecedit speciem, proprium et accidens. Quando autem comparatur species ad proprium et ad accidens, iterum comparatur prius ad sum posterioris, quia species praecedit proprium et accidens. Ultimo, quando fit comparatio inter proprium et accidens, iterum comparatur prius posteriori, quia proprium naturaliter est prius accidente. Quattuor igitur sunt comparationes principales, omnes autem aliae sunt

non principales, quoniam cuiuslibet alterius comparatur posterius ad suum prius.

Dicendum ergo quod Porphyrius non considerat hic differentias in particulari, quia illae quodammodo innumerabiles sunt; neque considerat differentias in universali, penes omnes comparationes indifferenter, quia sic differentiae sunt viginti. Sed considerat differentias penes comparationes principales, iuxta ordinem praedicabilium invicem; constat autem quod comparationes principales sunt tantum quattuor, ex quibus proveniunt decem tantum differentiae -ut demonstratum est.

§48

Quaedam argumenta contra duo dicta, cum suis responsionibus

Contra duo dicta arguitur. Et primo quod accidens praedicatur in quid, quia color et albedo sunt accidentia et praedicantur in quid, quia ad quaestionem quaerentem quid est hoc, demonstrando qualitatem disgregativam visus, sufficienter respondetur 'albedo' et 'color'.

Secundo arguitur quod differentia a nullo differt, quia si differentia ab aliquo differt, oportet quod per aliquam aliam differentiam, et erit procedere in infinitum. Dictum est enim superius, in capitulo de differentia,³⁰ quod duae differentiae non differunt sed distinguuntur, et quod omne differens ab alio componitur ex duobus, per quorum unum cum alio convenit et per alterum ab alio differt.

Ad primum dicitur quod albedo et color sunt accidentia inhaerentia et non sunt accidentia praedicabilia de quibus loquitur Porphyrius. Sed color potius debet dici genus et albedo species quam accidens, quoniam praedicantur in quid. Color ergo et albedo, ut sunt in substantia inhaesive possunt dici accidentia, ut autem sunt in suis inferioribus per essentiam et praedicationem, sic dicuntur praedicabilia in quid et non in quale.

Si autem instatur de albo et colorato quod etiam praedicantur in

quid, quia ad quaestionem quaerentem de aliquo particulari disgregativo visus 'quid est hoc' sufficienter dicitur quod est album et coloratum, respondetur quod non bene respondetur. Quia illud tale disgregativum aut est albedo, aut subiectum, aut compositum ex utroque. Si est aliqua particularis albedo, patet quod illa non est alba nec colorata. Si est subiectum albedinis, patet quod non bene respondetur 'album' vel 'coloratum'; si enim quaeretur 'quid est hoc' demonstrando Sortem album, debet responderi quod est homo vel animal, non autem quod est album vel coloratum. Si autem illud disgregativum visus est compositum ex subiecto et accidente, patet quod illud non est album nec coloratum, quia talia denominant subiectum et non compositum ex subiecto et accidente.

Ad secundum respondetur quod Porphyrius large loquitur de differentia cum dicit quod differentia differt a genere aut ab aliquo alio praedicabili. Tamen potest concedi quod differentia differt a genere et ab alia differentia non per differentiam absolutam, sed per respectivam; ita quod rationale differt ab irrationali per differentiam relativam non autem absolutam. Duae autem differentiae respectivae non differunt, proprie loquendo, sed invicem distinguuntur. Quare etc.